



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Exponere se periculo corporis vel animæ an sit licitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

444 Periculum peccandi.

esse peccatum mortale . Cum quibus omnibus memento hic quod propter imperfectionem actus saepe actus excusatur à mortali, siue imperfectio sit ex parte affectus, ut in primis motibus, siue ex parte materiae, ut in nocentis minimis, siue ex parte formae; hoc est, quia non per se, seu ex intentione peccatum illud fit, puta non intendit quis violare fidem, sed ex obliuione aut ignorantia facti: aut ex fiducia quam accipit de eo cui promisit, aut ex causa quae sibi videtur rationabilis, & breuiter quando non per se est perfidus, non incurrit mortale, nisi per accidens, hoc est propter notabile nocentum aut scandalum, & si quod aliud eiusmodi esset accidens. Et hinc habes claritatem infinitorum casuum contingentium in non seruata fide de tacendo, de fauendo, de eundo, faciendo, &c.

Exponere se periculo corporis vel animae an sit licitum.

Periculo peccandi se exponere dupliciter euenit. Primo faciendo scienter opus dubium an sit licitum vel illicitum. Et hoc modo exponere se periculo peccandi, vel peccatum: & si agitur de licito aut illicito mortaliter est peccatum mortale. Et ratio est, quia voluntas ex hoc ipso exorbitat à recta ratione & diuino amore, quod mauult opus illud cum dubio incurrendi transgressionem diuini praecepti, quàm abstinere in opere illo cum certitudine non errandi: ac per hoc voluntas magis amat opus illud, quàm Deum in suo praecepto. Et sic verificatur sententia illa: Exponens se periculo peccati moralis, peccat mortaliter. Secundo, eundo ad locum siue societatem ubi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasiones, commoditates, aut aliquid huiusmodi. Et hoc quidem si sine urgente necessitate fit, ad incautelas

incautelæ peccatum spectat. Non est autem ex suo peccatum mortale: quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi. Ex conditione verò personæ fragilis, mensuræ se tenetur qui fragilitatis propriæ conscius dubitat de calu. Et si experientia teste didicit se non subsistere in eiusmodi: sed statim aut quasi statim cadere, nulla necessitate vincatur ut illuc eat, aut ibi moretur. Scriptum est enim: Si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proice abs te. Si verò constantem se putat futurum, & necessitas eundi vrget, peccatum non video. Non urgente autē necessitate, peccatum est incautelæ (ut dictum est) maius vel minus iuxta conditiones singulares periculi vndique pensatas.

*Iuramentum falsum semper est
peccatum mortale.*

Periurium propriè (hoc est iuramentum falsum) peccatum est mortale, quia Deo inuocato in testem iniuria fit. Contingit autem incurrere periurium & in iuramento assertorio & in iuramento promissorio, & iuramento comminatorio. Ad quorum clariorem notitiam duas prænota distinctiones: alteram de formali vel materiali: alteram de perfecto vel imperfecto. Quæ distinctiones licet omnibus huiusmodi moralibus habendæ sint ante oculos: in peccatis tamen linguæ (de quorum numero est periurium) sunt multum necessaria. Discernendū est enim periurium si est ex intentione, quod vocatur formale: ut quum quis aduertit se falsum iurare, & vult falsum iurare. Et hoc semper est peccatum mortale. Aut si non intendit iurare falsum, & tan. iurat falsum, quod vocatur periuriū materialiter. Et rursus si periuriū ipsum exit ab homine ut actus perfectus

Et 2

(pura